

participes efficiet. Sic enim unigenitus ejus Filius ait : (a) *ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis & bibatis super mensam meam in regno meo.* Idem autem ipse, qui hoc promittit, sanguinis sui pretio nobis hoc tantum munus mercatus est. Per illum enim caelestis Pater, ut Petrus apostolus ait, (b) *maxima & pretiosa nobis promissa donavit, ut videlicet divina efficiamur consortes naturæ.* Quamvis autem hæc tanta felicitas omnem humanæ intelligentiæ vim longe superet; idem tamen, qui eam nobis promeruit, credibilem etiam fecit. Vere enim majus est, Deum humanitatis nostræ assumptione hominem fieri, quam hominem divinitatis

participatione divinam imaginem induere. Si ergo immensa divinæ bonitatis largitas, quod majus est, contulit; quod minus est, utique donabit. Hæc ergo tam felici spe atque mercede proposita, fratres, omnem torporem & somnum ab oculis excutere studeamus; per has beatitudinis semitas, quas vobis hodie Salvator exposuit, gradiamur, vigilemus, oremus; sanctorum omnium, quorum sollempnia celebramus, opem imploremus; illos nobis patronos, illos vitæ duces, illos virtutum nobis exempla proponamus: ut ipsorum precibus, & clarissimis exemplis adjuti, ad eorum tandem societatem pervenire mereamur.



(a) Luc. 22. 29. 30. (b) 2. Petr. 1. 4.

IN

* * * * *

IN EODEM FESTO
OMNIUM SANCTORUM
CONCIO TERTIA,

IN QUA DE VERA BEATITUDINE, deque itineribus, quibus ad eam pervenitur, ac de multiplici sanctorum varietate, quæ miram divinæ gratiæ & sapientiæ vim declarat, paullo fusius differitur.

THE. Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum caelorum. Matth. V. 10.

*** UO sunt in primis, **D** fratres carissimi, scitu necessaria iis, qui aliquo proficisci parant: alterum, locus ipse quo tendunt; alterum, via qua ad illum tendere debeant. Nos autem, fratres, quamdiu in hoc mortali corpore degimus, in itinere constituti sumus. (a) *Non enim habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus.* Advenæ siquidem in hac regione & peregrini sumus; sicut omnes patres nostri, qui ex ea tamquam peregrini alio commigrarunt; velut & nos quoque suo tempore com-

migrabimus. Quocirca necesse est, ut, quo tendimus, & qua via tendendum nobis sit, ante omnia cognoscamus. Utrumque autem sine ullo errore nos præfens sancti evangelii lectio docet. Quum enim in fine Dominus ait: *gaudete & exsultate, quia merces vestra copiosa est in caelis;* aperte, quo tendamus, declarat: nempe, ad caeleste regnum, in quo hæc merces copiosa percipienda est. Quum vero octo clarissimarum virtutum genera, quas beatitudines appellat, enumerat; itinera ostendit, quibus ad hoc beatitudinis regnum pervenitur. His nam-

(a) Hebræor. 13. 14.

namque itineribus sancti omnes, quorum hodie festum sollempni devotione recolimus, ingressi sunt. Omnes enim per varios labores atque certamina has virtutes coluerunt, & per eas tamquam per gradus quosdam aditum sibi ad hoc regnum paraverunt, ut in presenti concione latius demonstrabimus. Hac enim ratione, his exemplis vos ad eorum imitationem incitare tentabimus; ut qui desideratis patriam, viam, qua ad illam itur, minime refugiatis. Ut autem ad hoc nos pia mater ecclesia, quæ in nostras semper utilitates intenta est, acius incitaret, omnium hodie sanctorum festum sollempni devotione celebrandum instituit: non solum ut infirmitatem nostram multiplicatis eorum suffragiis adjuvaret, sed etiam ut torporem atque desidiam nostram tot propositis exemplis ad eorum

* imitationem accenderet. Ut enim rerum conditor Deus post universam hujus mundi fabricam hominem condidit, qui rerum omnium instar est, ideoque minor mundus appellatur; ita nunc ecclesia, quæ sigillatim ceteris volventis anni diebus sanctorum festa celebrat, hoc uno die, in fine prope la-

bentis anni, unum hunc diem sacrauit, in quo omnia simul eorum festa meritis laudibus celebraret: ut hoc argumento intelligatis, fratres, qualis esse debeat nostra devotio, si huic tantæ sollempnitati respondere debeat. Ut hoc autem præstare commode valeamus, caelestem opem, sacratissimæ Virginis interventu, suppliciter imploremus.

AVE MARIA.

Quoniam beatitudinis nomen toties in lectione sancti evangelii hodie inculcatur; quid ea sit, primo loco explicandum nobis est. Ea vero est, ut quam brevissime dicam, status optimus atque perfectissimus, ultimaque perfectio, ad quam humana natura, partim divina gratia, partim industria & labore suo adjuta, pervenire potest. Ut autem hoc apertius intelligatis, statuendum est, quod quamvis omnia, quæ Deus in hac tanta rerum universitate condidit, in suo quæque genere perfecta sint; (a) vidit enim Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona: nihil tamen in prima illa sua conditione (calos & sidera omitto) adeo numeris omnibus absolutum & perfectum fuit, ut non vel arte, vel na-

(a) Genes. I. 31.

tura, vel gratia perfectius reddi posset, atque ita ad perfectissimum naturæ suæ statum pervenire. Uti ab infimo rerum omnium incipiam, metalla, gemmæ atque lapilli, quæ rudia & inculta e terræ visceribus eruuntur, arte purgantur & expoliuntur, & novum quemdam nitorem capiunt. Arbores cultu nutriuntur, & a parvis initiis ad justam magnitudinem excrescunt. Quod etiam cunctis animantibus contingit. Supernæ vero illæ mentes, quæ perfectissimæ a Deo conditæ sunt; in quibus nobilissima natura variis gratiarum muneribus exulta & ornata fuit; posteaquam se in Deum erexerunt, & præclaris donorum gratiarumque muneribus in laudem conditoris retulerunt, non solum in gratia confirmatæ, sed æterna etiam felicitate donatæ sunt.

Quid vero inter hæc naturam humanam commemorem, quæ inter corporeas & incorporeas creaturas, veluti quidam mundi nodus, media constituta est? Quæ enim inter creaturas omnes aut altius ascendere, aut inferius deprimi potest? Quum enim homo inter angelos & animantia cetera medium quemdam locum obtineat; consequens est, ut intellectu &

mentis acumine quandoque angelicæ naturæ sit propior, quandoque vero tarditate ingenii vix uno gradu distet a brutis. Unde videre est quosdam homines pecudibus similes, quosdam vero paullo angelis inferiores. Quid enim Æthiopum quorundam stupiditate rudius? Quid vero Aristotelis & Platonis mentis acumine sublimius? Et utriusque tamen ejusdem humanæ naturæ confortes existunt.

Quod si ad supernaturalia dona transeas, videbis homines divinæ gratiæ muneribus sic ornatos & excultos, ut, quemadmodum Dionysius Carthusianus ait, non solum inter infimos, sed inter supremos etiam angelorum ordines merito collocandi sint. Quidni? Si enim angeli nullo suo labore, sed simplici quadam in Deum conversione, ad tantum gloriæ culmen evecti sunt; cur homines, qui, quamvis fragili natura & carne circumdati sint, caelestem tamen vitam in terris tot annos meditati sunt, non ejusdem gloriæ dignitatem adipiscantur? Quam enim coronam beatus Hilarion abbas post incredibilem carnis macerationem non promereatur, qui morti jam proximus, auctore Hieronymo, qui

qui ejus vitam conscripsit, animosam illam vocem protulit: *egredere anima, quid times? septuaginta annis Christo servisti, & adhuc mortem times?* Quid Paullum memorem? de quo idem auctor ait, quod quum post solitariam vitam tot annos in eremo actam cum beato Antonio ad refectorem confedisset, & corvus integrum panem in medium projecisset: *septuaginta, inquit, anni sunt, quibus a Christo dimidiatum panem accipio: nunc ad adventum tuum militibus suis Christus duplicavit annonam.* Jam vero quid hic Ignatium, Laurentium atque Vincentium commemorem, qui tam multa & immania propter Christi gloriam pertrulerunt tormenta? An non hi inter supremos etiam angelorum ordines sedem accipient, quam tam horrendis cruciatibus meruerunt?

Nec viri modo, sed insignes etiam feminae sedes easdem promerita sunt. Ut enim aliarum feminarum agones & stupenda certamina prætereamus, tres matres legimus, unam quidem in veteri, duas vero in novo testamento, quarum quæque septem filios unius diei spatio ante oculos suos propter Dei gloriam

excarnificari, & atrocissimis tormentis mactari passa est. Hoc enim in veteri testamento (a) septem fratrum Machabæorum mater, hoc in novo Symphorosa & Felicitas cum septem quæque filiis pertulerunt: quarum Felicitatem D. Gregorius merito octies martyrem appellat. Passa est enim septies in corporibus filiorum, ac demum in corpore proprio. An non igitur hæc dignæ sunt, ut a Domino inter principes angelorum numerentur? Quid vero beatissima Virgo? An non ipsa, quum & femina, & naturæ nostræ confors esset, super omnes angelorum choros exaltata est? Videtis ergo, quo humana natura, quæ in rationalium creaturarum ordine infima, ac veluti materia prima esse dicitur, ascendere possit. Constat igitur ex his, creaturas omnes, quamvis a perfectissimo creatore perfectæ in suo quæque genere conditæ sint, superesse tamen adhuc perfectissimum quemdam naturæ suæ statum, quo cultu & labore pervenire possint. Inter has tamen homo præcipue numeratur: qui ea conditione est, ut vel imis, si se ipsum dejiciat; vel summis, si diligentius se gesserit,

(a) 2. Machab. 7. 1. seqq.

rit, annumerari possit.

Hunc autem perfectissimum naturæ statum, beatitudinem & felicitatem appellamus: quæ adepta, appetitui & cupiditati nostræ requies datur, & inextinguibilis illa cupiditatis nostræ sitis extinguitur, ac perennis illa desideriorum nostrorum rota conquiescit, quum eo tandem pervenit, ubi nihil amplius desiderare queat, quam quod habet. Quæretis autem, qui fieri possit, ut adeo fragilis natura hominis, totque tum corporis tum animæ morbis obnoxia, ad eum statum pervenire valeat, in quo, bonorum omnium compos effecta, nihil habeat, quod in præsens tempus cupiat, nihil quod in futurum pertimescat? Certe in hac vita, quæ tot undique curis & angoribus assidue vexatur, ad hunc felicissimum statum provehi, nemini concessum est. Quod quidem firmissima ratione comprobatur. Felicitatem enim hic hominis, non pecudis, quærimus. Hominis autem intellectus & voluntas, propriæ & peculiare vires sunt, quibus a ceteris animantibus distat. Quocirca tunc is vere felix & beatus erit, quum hæc duæ rationalis animæ vires ad perfectio-

nis suæ apicem pervenerint. Intellectus quidem perfectio in sapientia constituta est; voluntatis autem in summi boni fruitione consistit. Quomodo autem intellectus eo in hac vita perveniet, ut omnia sciat, nihilque amplius scire desideret? quomodo vero voluntas tot bonis fruatur, ut nihil amplius cupiat? Si enim aut scienda aut fruenda supererint, illa utique & intellectus cognoscere, & voluntas naturali cupiditate eisdem frui concupiscet. Non igitur quiescet, quum hoc novo sciendi & fruendi desiderio extimulabitur. Quomodo ergo hæc utraque vis animæ nostræ plene conquiescet? Res ipsa se prodit. Nimirum quum ad illud summum & infinitum bonum pervenerit, in quo uno omnis veritas & bonitas, omnique perfectio reperitur; quo uno sitis animæ nostræ plenissime sedabitur; extra quod semper anxia & sitibunda erit.

His etiam adde, quod quum scire (a) sit, rerum causas cognoscere; prima autem & summa omnium causa, & aliarum origo, Deus sit: hanc semper intellectus noster naturali aviditate cognoscere desiderabit, & quo magis illum cognoverit, eo

(a) Aristot. 1. Metaph.

eo magis ad pleniorē & clariorem ejus cognitionem, mirā ipsius pulchritudine incitatus, adspirabit. Naturalis enim motus eo velocior est, quo fini suo propinquior existit. Tunc ergo naturalis hæc cupiditas perfecte sedabitur, quum resecta facie immensam illam divinæ pulchritudinis speciem contemplantur, nec aliud ultra scire concupiscet, quum in uno illo pulcherrimo divinitatis speculo omnia videat, omnia sciat, & bonis omnibus profuæ felicitatis modo perfruatur. Hoc autem elegantissima metaphora breviter D. Augustinus expressit; qui, cum Deo loquens, ubi variis illum nominibus collaudasset, hoc etiam addidit: *virtus maritans mentem meam, & replens sinum cogitationum ejus*. Sic enim mens humana Deum desiderat, quod is plane tamquam vir animæ nostræ sit, qui eam perficit, implet, summis delitiis afficit, & sinus ejus omnes, qui ad unum Deum fruendum conditi sunt, bonorum omnium abundantia oblectat & replet. Ut enim uxor viro, & vir uxori; ita Deus animæ, & anima nostra Deo destinata est. Quocirca merito D. Augustinus Deum appellat

virtutem, quæ hominis mentem maritet, & omnes sinus ejus repleat; quoniam solo eo plenissime satiatur. Ex qua quidem supputatione aperte colligitur, neminem in hac vita esse posse beatum, quum in ea nemo hanc desideriorum quietem assequi possit.

Adstipulatur autem huic rationi ipsa rerum humanarum conditio. Si enim res gestas omnium temporum & sæculorum evolvamus, nullum, neque inter reges, qui rerum omnium potiebantur, invenimus, qui non plura cuperet, plura etiam scire desideraret. Vastissimus quippe humanæ mentis sinus hac in re Dei imaginem, ad quam condita est, refert; quandoquidem, nisi immenso & summo bono, satiari non potest. Cujus rei locupletissimum existat vel unius Salomonis exemplum, qui inter omnes reges opulentissimus, inter sapientes excellentissimus existit: qui ubi tam multis ac variis opibus & delitiis abundasset, tam multaque ingenio & sapientia divinitus insula cognovisset, illam tamen, post omnem hanc felicitatem, veritatis indicem vocem protulit: (a) *vanitas vanitatum, dixit Ec-*

(a) *Eccles. 1. 2.*

clesiastes, vanitas vanitatum & omnia vanitas. Quid enim amplius habet homo de labore suo, quo laborat sub Sole?

Addam etiam hoc in loco Xerxis potentissimi Persarum regis exemplum, de quo ita scribit Herodotus. Xerxi incessit cupido omnem exercitum oculis subjiciendi. Nam promittens quædam exedra in hoc ei prius ex candido lapide in loco edito exstructa erat. Et quum inde intueretur omnem Hellepontum navibus obductum, omnia litora, & Abydenorum plana, hominibus referta, ibi se beatum jactavit; & post hæc lacrimas fudit. Quod Artabanus, ejus patruus, animadvertens, qui libere dissuaserat bellum Græciæ inferendum; ita ex eo percunctari cœpit: *quam diversa, rex, inter se nunc facis, ac dudum dixisti; qui enim ante beatum te esse dixeras, nunc lacrimas fundis!* Et ille, *reputantem me*, inquit, *quam brevis est omnis humana vita, subiit horum miseratio, quorum, quum tot sint, nemo ad centesimum annum supererit*. Excipiens Artabanus, *atqui, inquit, est & aliud non minus deffendum, quod vivendo miserabiliora patimur. In tam brevi enim vita nullus*

hominum adeo felix existit, neque horum, neque aliorum, cui non crebro, nedum semel, subeat animo moriendi voluntas potius quam vivendi. Nam incidentes calamitates & morbi vitam perturbant, efficiuntque, ut quum brevis sit, tamen perlonga videatur. Quid igitur superest? Nempe quod tunc solum homo felix, & omnium bonorum compos erit, quum ad summum illud & infinitum bonum pervenerit, in quo uno omnia reperiet. Hæc igitur vera & plena felicitas est, quam Joannes in Apocalypsi describit, quum, de beatis martyribus loquens, ait: (a) *non esurient, neque sitient amplius, neque cadet super illos Sol, aut ullus estus: quoniam agnus, qui in medio throni est, reget illos, & deducet eos ad vitæ fontes aquarum, & absterget omnem lacrimam ab oculis eorum*. In quibus verbis, quod maxime proprium felicitatis hujus est, describit, quum ait: *non esurient, neque sitient amplius*; quia videlicet naturalis hæc cordis nostri sitis & esuries plenissime satiabitur: haustoque poculo ex illo fonte vitæ, & pabulo felicitatis æternæ, non ultra esuriet aut sitiet, sed ingrediens & egrediens

(a) *Apocalyp. 7. 16. 17.*

diens pasqua ubique lætissima inveniet.

Quod si deinde quæritis, fratres, quibus gradibus ad hanc tantam beatitudinem perveniat? hoc Dominus breviter in hodierna sancti evangelii lectione declarat, quum ait: *beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum celorum. Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur*, &c. quæ sequuntur. Videris, fratres, quam diversa sit hæc via ab ea, qua sæculi homines gradiuntur, ut felicitatem inveniant. Hi namque opes exquirunt, honores ambiunt, delicias concupiscunt, magistratibus & dignitatibus inhiant, labores, lacrimas, persecutiones, & omnes corporis molestias velis remisque fugiunt, nihilque aliud quam terrena sapiunt. At nos contra Dominus ad voluntariam spiritus paupertatem, ad labores, ad lacrimas, ad sui denique imitationem invitatur. Ipse enim ante alios hausit calicem passionis; cujus reliquias discipulis, nobisque omnibus tradidit ex-

hauriendas, dicens: (a) *accipite, & dividite inter vos*. Inter quos Paullus partem, quæ illi obtigerat, se ebibisse testatur, quum ait: (b) *adimpleo quæ desunt passionum Christi in carne mea, pro corpore ejus, quod est ecclesia*. Sed addit is tamen patiendi solatium, dicens: (c) *si compatimur, & conregnabimus*: (d) *si commortui fuerimus, & convivemus: si fuerimus socii passionum, erimus & consolatio-*

num. Hac ergo de causa hodierna nobis sancti hujus evangelii lectio proponitur, ut sanctorum varias virtutes, & varia item eorum certamina agnoscamus; per quæ in caelestem patriam contenderunt, & viam nobis, qua illos sequeremur, ostenderunt. Hæc enim via regia est, hac itur ad cælum. *Quis*, inquit ad Eustochium Hieronymus, *sine certamine coronatus est? Abel justus (e) occiditur: Abraham (f) uxorem periclitatur amittere: & ne in immensum volumen extendam, quare, & invenies, singulos adversa esse perpeffos. Solus Salomon in deliciis fuit, & ideo fortasse corrui*. Hactenus ille.

Se-

(a) *Luc. 22. 17.* (b) *Coloss. 1. 24.* (c) *2. Timoth. 2. 11. 12.* (d) *2. Corinth. 1. 7.* (e) *Genes. 4. 8.* (f) *Genes. 12. 11. seqq.*

Secunda pars.

Quæret autem fortasse aliquis, cur amator omnium Deus tot laboribus beatitudinem parari voluerit. Si enim (a) *omnia propter semetipsum*, hoc est, ad declarandam gloriam suam, operatus est Dominus; major bonitatis gloria in gratuitis, quam in labore partis, beneficiis esse videbatur. Aliud enim liberalissimi principis, aliud mercimoniam exercentis proprium esse videtur. Quod si dixeris, laboris hujus causam non Dei voluntatem, sed voluntariam hominis culpam extitisse; qui se peccato non modo maculavit, sed gratuitis etiam Dei donis spoliavit, quibus ad beatitudinem pervenire sine labore potuisset: contra hoc rursus instare aliquis poterit: cur ipse Dominus, qui ruinam hominis impedire potuisset, hoc facere distulit? Si id enim fecisset, o quam multorum malorum, quam multarum lacrimarum & calamitatum materiam sustulisset! Quis igitur (b) cognoscere sensum Domini, & judicia illius atque consilia penetrare valeat? Si apostolus Paullus post secreta caelestia & (c) *arcana illa verba, quæ non licet homini lo-*

Tom. III.

(a) *Prov. 16. 4.* (b) *Rom. 11. 34.* (c) *2. Corinth. 12. 4.* (d) *Rom. 11. 33.* (e) *Psalms. 146. 4.*

qui, elinguis factus est, nec aliud dicere potuit, quam: (d) o altitudo divitiarum sapientiae, & scientiae Dei, &c. quid, quæso, nos facere par est, qui humi repimus, & vix ante oculos & in prospectu posita cognoscimus? Sed quoniam communis sanctorum sententia est, numquam a summo illo mundi moderatore permitti mala, nisi ut ex iis eliciat bona; quod non ex natura mali, sed ex divinæ bonitatis abundantia provenit: inquirere eodem Domino juvante studeamus, quænam bona ex hoc tanto malo consequuta sint. Ac primum quidem statuendum est, electorum numerum, qui ab æterno fuerat a Deo præfinitus & prædestinatus, integrum illibatamque permanisse. Sive enim cadente homine, sive stante, non minor fortasse prædestinatorum numerus fuisset; quem solus ille novit, (e) *qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat.*

Hoc ita constituto, expendere incipiamus, non quidem bona omnia, hoc enim esset operis infiniti, & ab hodiernæ sollemnitatis instituto alienum, sed aliqua tamen, quibus hæc

R

hu-